



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Operis Clausula, & pro ea Eucharisticon.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

OPERIS CLAVSVLA,

Et pro ea Eucharisticon.

1216



Hic est finis aduentus Christi ad nos. Hanc ob causam conditus, & tot eminentissimis prerogatiuis (de quibus haecenus vniuersa hac tractatione actum,) donatus est Christus. Idem ipse est finis hominis, vt optime tradit S. Basiliius initio expositionis in psal. 48. his prater cetera. [Nobis finis cuius gratia cuncta facimus, & ad quem omni studio properamus, beata est in futuro seculo vita, quam Deo seruiendo consequimur. Atque

adeo hoc vno fine, non queat ne natura quidem rationis particeps, comminisci aut excogitare praestantior. Ad hunc & Apostolus excitat, dicens: *Deinde in fine, quum tradiderit regnum Deo & Patri.* Hunc & Sophonias adducit, & ex Dei persona loquens; *Quoniam iudicium meum est in congregationes gentium, vt suscipiam Reges & vt effundam super ipsos iram meam. In igne enim zeli mei, consumetur omnis terra, quoniam tunc conuertam super populos multos linguam in ipsius generationem, vt omnes innocent nomen Domini, vt ipsi sub vno iugo seruiant.* Addit eundem subiici sensum debere, omnibus psalmis quorum sit titulus *in finem*. Felices qui per subiectionem ad Deum in hac vita, Christo illis facto omnia in omnibus, proluferint ei subiectioni, qua Deus in caelo post mundi clausulam, erit omnia in omnibus. Quare quandoquidem ad finem Christi, veramque salutem nostram ea subiectione constitutam, deuentum est; hic item huius scriptionis, finis esto: quam feliciter suscepam, & consummatam gaudere licebit, si detectis altissimis circa nos in Christo Dei consiliis, & eiusdem amore, ex declaratis tot tantisque Christi perfectionibus inflammato, aliquid hinc conferatur, ad metam praedictam per nos & alios attingendam. [Te autem prater omnia, ac super omnia, Deus pater Domini nostri Iesu Christi, aequè voce ac mente supplici obsecro, vt haec quae ex largitate tui muneris scripsimus, tu dono tui amoris insinues. Et quia, vt ipse nos Dominus Deus noster Vnigenitus tuus docuit, ita dilexisti hunc mundum, vt pro salute mundi, Vnigenitum tuum mitteres; donis hoc plebi tuae, quam redemisti, vt in Incarnatione vnigeniti filij tui & tuum donum, & affectum illius sapiat: & hoc quod pro nobis vnigenitus tuus Dominus Deus noster & natus & passus est, & resurrexit, ita omnes & intelligant & ament, vt dignatio suae maiestatis profectus sit nostri amoris: nec in animis vniuersorum humilitas illius imminutionem habeat honoris, sed augmentum semper pariat charitatis: ac beneficia sacrae misericordiae ita omnes pie ac sapienter intelligamus, vt tanto plus debere nouerimus nos Deo nostro, quanto humilior propter nos factus est à se Deus.] Hoc Cassiani votum est l. 7. de Incarn. c. 31. quod meum item esse volo.

1217 Nec illa quoque ad ipsum Christum petitio, qua S. Cyrillus lib. de Trinit. obsignauit, praetermittenda est. [O Dei Verbum & sapientia & potentia, quidnam tandem tibi nos inopes & imbecilles pro omnibus hisce retribuimus? Tua enim sunt omnia; nec quicquam à nobis nisi nostram salutem flagitas. Ipse enim & hanc das, & accipientibus, propter ineffabilem bonitatem habes gratiam. Tibi gratia, qui vt essemus dedisti, & vt bene essemus gratiosè donasti: cumque hinc excidissemus, per omni oratione maiorem illam tuam demissionem, nos iterum eò reduxisti. Tibi igitur omnis gloria, & honor, & adoratio conuenit, vnà cum

NNNn 3. princ

principij experte tuo Patre, & vndecumque sancto & bono, & viuifico tuo Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.]

Quod si quinque libros quibus vastissimum argumentum complexi sumus, quinque hordeaceis panibus quos Christus turbas paut, conferre placeat, non erit inidonea comparatio. [Sicut enim numero pares sunt, (verba sunt Cassiani, similem comparationem usurpantis l. 6. de Incarn. c. 2.) sic specie non dissimiles. Nam cum illi hordeacei fuerint, & hi quantum ad ingenium nostrum pertiner, hordeacei dici possunt: quamuis testimoniis sacris locupletati, despicabilibus inuolucris salutiferas opes contegant, etiam in hoc scilicet ab illis non discrepantes: quia sicut illi cum essent pauperes specie, facti sunt diuites benedictione: ita hi quoque, cum ingenio nostro viles sint, sunt tamen sacra admixtione pretiosi: & cum praeferant in se, ex sermone nostro hordei vilitatem, habent tamen intrinsecus ex Dominici testimoniis panis viui saporem. Superest ut ad exemplum illorum, per diuini muneris gratiam, innumeris ex feminibus salutiferos cibos praebeant. Et sicut ille corporalem dederunt edentibus fortitudinem, ita ij spiritalem legentibus tribuant salubritatem. Potens est autem Dominus, cuius etiam hoc donum est, sicut illud fuit, ut qui per cibum illum fecit non deficere in via saturos, per hunc quoque faciat non deuiare saturatos, &c.]

Te orantes Domine, te obsecrantes, ut videns nifum officij ac voti nostri, des pio conatui opus efficax: & cum nos pro obsequio affectuque nostro numerum illum panum, libellorum numero exaequare cupiamus, tu virtutem benedictionis illius in hac transferas: & qui scriptiunculam nostram numero Euangelico muneraris, numerum quoque ipsum Euangelico fructu expleas, tribuasque hac ad sanctum & salubrem cibum cunctis Ecclesiae tuae populis.] Fiat, Fiat.